

www.e-rara.ch

Theatrum orbis terrarum

Ortelius, Abraham

Antverpiae, 1603

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: T 33

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92309>

Pannonia Et Illyris.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

P A N N O N I A

E T

I L L Y R I S.



PVD Dionem auctorem in primis fide dignum, ut quem huic nationi aliquando praefuisse constat, lego, Pannonos dictos ex eo, quod tunicas manicatas ex pannis more suo concisis ac confutis conficiant; ut interpretatur Xylander; aut ut vertit flos Belgici Orbis Lipsius, quod tunicas manuleatas ex centonibus quibusdam & pannis (ita appellant) patrio more conscindunt, & coaptant. Ab Alpibus Apenninis nomen habere, nescio ubi legerit, aut potius somniauerit Isidorus. Horum regionem Pannoniam, Ptolemæus inter Danubium & Sauum flumina, Cetium & Albanum montes, limites naturales constringit. Sic quoque Strabo, qui Pannonios extendit versus Occidentem, nempe ad Segefticam urbem, & versus Septemtrionem ad Istrum: à Meridie ad Dalmatiam & Sardiæos populos. Florus scribit hos vallari duobus saltibus, & tribus fluuiis, Dauo, Sauo, Histroque. Ad Istrum fluuium habitare, à Norico vsque ad Mœsiam Europæam, ait Dion. Appianus eos à Iapodum populis vsque ad Dardanos protendit. At in eo fallitur, quod hos Pæones nominat, errore cum Græcis communi, quem primum detexit Dion 49. Romani enim eos, & ipsi sese, Pannonios vocant. Pæones alij ab his, ad Rhodopen montem nempe, & Macedoniam maritimam. Hanc Pannoniam Ptolemæus, Strabo, Dion, Aurel. Victor, & inscripti lapides in Superiorem & Inferiorem distinguunt. In Primam & Secundam, lib. Notitiar. Pannonias tres numero facit Optatus Afer. non verè, cum duas tantum describant classici hi auctores; neque plures depingat Traiani Decij Imp. hinc oriundi nummus, cuius iconem hic adiungi curauimus. Hanc regionem solo planam, latam, atque vberem esse tradit Solinus. Nemorosam, & nullas vrbes habere, agros dumtaxat per villas & cognationes possideri, scriptum reliquit Appianus. His agris, ut lego apud Hygenum, pretium & vectigal ad modum vbertatis per singula iugera constitutum. erant enim arui primi, arui secundæ partis, siluæ glandiferæ, siluæ vulgaris pascuæ, &c. Aliter autem de eadem postea Iornandes: qui dicit patriam ornatam ciuitatibus plurimis. Incolas omnium hominum vitam durissimam tolerare, neque terram neque aërem felicem habere, neque apud eos oleum aut vinum, nisi paucissimum, nasci, neque hæc eos colere: cum maiorem anni partem acerrima in hieme viuant. Sed hordeum & milium (zeam & milium Strabo) eos edere, & potum ex iis conficere, docet Dion. additque hoc non auditu aut lectione, at re ipsa cognouisse, dum huic genti præesset. At homines dicit omnium fortissimos, ut qui nihil vita honesta dignum habeant, ad iram & cædes sint propensissimi. Solinus hoc idem confirmans, dicit viro fortem hanc esse regionem. Subdolos incolas, dicit Tibullus 4. Feroces, Staius & Paterculus appellant. Sed idem eosdem laudat, non tantum à disciplinæ militaris studio; sed linguæ quoque Romanæ notitia: atque litterarum plerisque etiam vsu. Armiferos nominat Aufonius. Aeris vsu hos, imprimis qui circa Noricum habitant, inuenisse, tradit Euseb. 10. Preparat. Corpore præualidos & proceros, in pugnam cædemque paratissimos, Herodianus. Sed ingenio ita pingui, ut haud facile sentiant, si quid agas dicæve astutè aut subdolè. Mamertini Panegyricus hanc Pannoniam, virtute, uti Italiam gloriæ vetustate, gentium dominam nominat. Glandiferam nominat horum regionem Plinius. & idem saluincam herbam in ea prouenire, tamquam memoriæ dignum, sua Naturali historia testatum reliquit. Pannonicos canes laudat Oppianus: & venationi non ineptos, Nemesianus dicit hoc versu: *Nec tibi Pannonica stirpis tenuatur origo.* Pannonicos pileos ex pellibus factos, quibus milites uti consuevere, celebrat Vegetius. Huic regioni postea vineas habere permittit Probus Imp. qui & opere militari Almum montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœsiam superiorem, vineis consecuit. ut habet in huius vita Aurel. Victor. In Pæonia adeò auro fertile est solum, ut plurimis pondus minam excedens repertum sit. & in huius confinibus, crebris imbribus terra liquefacta, aurum quod apyrum vocant, inueniri, scribit in Admirandis Aristoteles. at Græcum errorem hic denuo agnosco, cum Pannonia pro Pæonia scribendum sit. Pannoniam enim siue Hungariam, hactenus ad miraculum vsque esse auriferam, testes habemus præter cæteros, Bonfinium, Broderithum, & Ranzanum, qui adfirmat etiam aureas ex vite virgulas ad digiti & semipedis longitudinem complures se vidisse. De Pæoniæ auri fecunditate nemo. Laërtius in Pyrrhi Eliensis vita annotauit Pæones mortuorum corpora in stagna proiicere. Max. Tyrius Oratione 38. scribit Pæonas Solem venerari, & signum Solis esse discum breuem, longo impositum ligno. an hoc verò de his, aut Pannonibus potius (quia Græcus quoque est,) credi possit, peritioribus inuestigandum trado. Item locum Aeliani 7. Animal. cap. 12. ibi digna lectu de Pæoniæ mulierum operositate, & laboris patientia. Pæonas etiam (pro Pannonibus) habet Zetza Chiliade 10. numero 318. vbi quædam sunt huc pertinentia. In Illyrio & Pannonia esse monychos, tradit Antigonus, in Mirabilibus. Monops animal hoc puto Aeliani. Aliis Bonafus. Pannoniam bifontum animalium feracem ait Diaconus 2. Longob. cap. 8. additque se audiuisse ex vero sene, in huius animalis corio quindecim homines vnà cubare, magnitudinem eius indicans. Atque hæc de Pannoniis, nunc de Illyrico.

ILLYRIS vocatur hæc regio Ptolemæo: Illyria, Illyrias, & Illyrium Stephano: Illyricum à ceteris Geographis Historicisque. Huius tractum olim descripsisse toto volumine Alexandrum quandam, testis est Val. Max. Nomen accepit, si Appiano credimus, ab Illyrio Polyphemi F. si Apollodoro, & Stephano, Cadmonis F. Limites huius multifariam ab auctoribus describuntur. Ptolemæus eam mari Hadriatico, Istria, Pannoniis & Scardo monte, à ceteris distinguit. Plinius ad Lissum urbem finit. Pomponius huius initium constituit à Tergesto, finem ad Aeam fluuium, qui secundum Apolloniam est. Martianus vltèrius, ad Ceraunios nempe montes vsque, ut quoque Strabo. Suetonius in Tiberio de huius limitibus hæc: *Illyricum, quod intra Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam & Macedoniam, inter Danubium fluium, & sinum maris Hadriatici pater.* Amplissimam autem facit Appianus: ut qui eius longitudinem ab Istri ortu, ab Ponticum vsque mare producit. Sex. Rufus qui vixit sub Valentiniano Aug. sub Illyrico prouincias septem & decem numerat: has scilicet, Noricorum duas, Pannoniarum duas, Valeriam, Saviam, Dalmatiam, Mœsiam, Daciæ duas, Macedoniam, Thesaliæ, Achaiæ, Epiros duas, Præualim & Cretam. Hæc de nomine & limitibus, ex variis auctoribus. Nos autem hac tabula Ptolemæi Illyricum tantum expressimus, quam ille bifariam diuidit, in Liburniam nempe & Dalmatiam. Liuius 45. eam per populos in tres partes distinguit: de cuius regionis natura, hæc Strabo. Tota Illyrici ora est opidò commodis instructa portibus: tum ipsa, tum insulæ etiam vicinæ: & bonarum frugum ferax, oleis & vitibus egregia. Quæ supra hanc sita est regio, montosa est tota, frigida ac niualis: ita ut vites raræ sint & in editis & in planis locis. Ob id, non impropiè, gelidam Illyriam, dixit Propertius. Incolas bellicosissimos dicit Appianus. Terra marique feroces, Liuius. Sæuos & latrociniis addictos, asserunt Florus & Strabo. Fortissimarum Europæ gentium vnã esse, Iulianus Imp. in Sermone de Cæsariis, auctor est. Duas legiones Martiobarbulos in Illyrico semper fuisse, traditur à Vegetio. Hos Dioeletianus & Maximianus postea Iouianos & Herculeos nominauere, eæque cunctis aliis legionibus prælatæ. Illyricis sudant equitatibus alæ, inquit Claudianus in Laude Serenæ. Aruspiciæ etiam cognitione celebres, facit Lampridius, dum scribit Alexandrum



Vis consilii expers mole ruit sua.

Dño Ludovico Halero ab Hallerstein, Stemmate, eruditione, & animi candore, verè nobili, Ab. Ortelius hoc amicitiae mnesymon dedicabat.

PANNONIAE, ET ILLYRICI VETERIS TABVLA.

Ex conatibus geographicis Abrahami Ortelij Antverpiani.

Loca incerta positionis.

In ILLYRIA populi, Agravitae, Araxiae, Cuanabri, Decuni, Deremis, Dexari, Dudini, Glinditiones, Grabari, Hemasini, Hymani, Lacimenses, Mentores, Melcomani, Oxei, Palareti, Pleri, Salsari, Sartari, Seleptani, Separi, Stulpini, Syopij, Tralles. Urbes, Alcomene, Arduba, Astraea, Balcha, Barpulum, Bolurus, Cornutum, Dimalam, Eugenum, Hycana, Iovium, Megara, Melitussa, Nerata, Niria, Nutria, Oedantion, Olympe, Orgomena, Rhon, Phere, Seretium, Sfarctus, Setavia, Sinotium, Sir, Suruan, Tribulum. Regio Las, Fluvius Salamon. Mons Monocentus. Locus Senta. In PANNONIA populi, Arivates, Belgites, Cornate, Dufinones, Decentij, Dufiatae. Urbes, Alkman, Aspicana, Burgena, Quadrivarium. Haec urbes quae circa Iapygium, Istriam, Archinca, Torium, et populi Eleutij, Moentini. Quaedam etiam ex Anton. Itinerar. hic omisit.

Cum Gratia et Privilegio decennali 1590.

Meridies.

drum Seuerum hos in huius peritia vicisse. Isogonus apud Plinium scribit apud hos esse homines qui visu effascinent, intermantque quos diutius intueantur; iratis præcipue oculis, eosque binas pupillas habere. Vinofos esse docet Aelianus, & ebrietati admodum deditos Athenæus. De horum virginibus & mulieribus, Varro 2. cap. 16. Vineas sub postremis Imp. coluisse significat Claudianus 2. in Panegyrico Stiliconis, cum inquit, *Execris inculta dabant quas secula siluis, Restituit terras, & opacum vitibus Istrum Conserit.* Sub Probo Imp. ut videtur. Sabaiam pauperum potum, sic dictum, atque ex hordeo vel frumento in liquorem conuersum esse, apud Ammianum lego. Hos peltam inuenisse, annotauit Clemens 1. Stromatum. Iumenta bis hic in annos singulos, & pleraque geminos, multa ternos, & quaternos parere: nonnulla etiam quinos aut plures simul progignere, lacteque diurno tres semifextarios implere: tum gallinas non semel tantum, sed bis terve in dies singulos oua edere, perhibet in Admirandis Aristoteles. Capras hic vngues pedum indiuisos habere, scribit se audiuisse Aelianus. Gentianam præstantissimam hic nasci, annotauit Plinius. idem Illyricas cochleas, magnitudine præcipuas esse. Lychnidem optimam hic prouenire, in locis editis procul à mari, auctor est Athenæus 15. Illyricam picem celebrat Ouidius 2. Amandi, & ad Tuticanum. Iridis Illyricæ meminere Theophrastus, Celsus, Ouidius, & Dionysius Vticensis. & huius laudatissimam nasci in siluestribus Drilonis & Naronæ, scribit Plinius. In Illyrio quaternos equos Neptuno nono quoque anno in mare olim iaciebant, si fides Festo, in verbo Hippus. A Dionysio Vticensi & Cæl. Apitio memoratur oleum Liburnicum. Idem fontem frigidum in Illyriis esse docuit, supra quem expansæ vestes accenduntur. Et de Illyrico hæc generatim. nunc speciatim de eius regionibus Liburnia & Dalmatia: quarum finis & initium est Titius fluuius, ut censet Florus: siue Scardona vrbs, ad huius ripam, ut placet Ptolemæo, Dioscoridi, Galeno, & Plinio. Liburnia nauibus, quæ inde Liburnicæ vocantur, insignis: quas aliis omnibus nauibus bello aptiores æstimat Vegetius. teste enim Appiano leuitate & celeritate ceteris præstabant. Nec minus veloces esse scribit Zosimus, quam quæ quinquaginta remis agantur. At falsò idem has ab vrbe Italiæ sic dicta, nominatas adserit. Olei Liburnici meminit Apitius. De ferrariis Dalmatiæ, vide quædam apud Casiodor. Variar. lib. 3. ad Simeonem. Auriferam esse, ostendunt Statij hi versus, in Siluis: *Quando te dulci Latio remitem Dalmata montes, vbi Dite viso Pallidus fessor redit, erutoque Concolor auro.* Item hi Martialis: *Ibis litoreas Macer Salonas, Felix aurifera colone terra.* Nulla tamen pecunia eos uti, Strabonem testem habemus: qui & agros eos singulis octenniis denuo diuidere ait. Viginti in Dalmatia opida antiqua, & qui ipsi sibi ascuerunt amplius sexaginta, scribit Cicero ad P. Vatinius. Rapam & pastinacam circa Dalmatiam vltro prouenire, scribit ex Posidonio Athenæus 9. (ut vertit Dalechampius, cum *A'quaria* in Græco legitur, voce à nemine alio memorata. Taulantios Dalmatiæ populos, ex melle vina reddere, tradit Aristoteles in dictis Admirandis: fauos enim, aqua superinfusa exprimunt, ac simul ahenò ad mediam vsque partem concoctam, primùm fistilibus infundunt, deinde vasis ligneis reseruant in multa tempora, donec per omnia vini saporem contrahant. Idem ibidem scribit, in Ardiæis (etiam Dalmatiæ) iuxta Autariatarum confinia, magnum esse montem, & in propinquo vallem, vnde aqua profilit copiosa, non equidem omni tempore, sed vere tantum, quam interdum vasi infusam seruant, noctu sub dio constituunt. Quod dum ita sit sex diebus, vltimo congelatur, ac sal omnium perfectissimum efficitur. Senta nomine, specum, habet Plinius in Dalmatiæ ora, vasto in præceps hiatu, in quam deiecto leui pondere, quamuis tranquillo die, turbini similis emicat procella. Huc pertinet fortè fabella duarum rupium, quarum meminit Dionysius Afer. in eadem regione spelunca est, quæ Dianæ dicitur, si Phlegonti Tralliano fides, in qua videre licet multa corpora, quorum costæ XVI. vinas excedunt. At hæcenus de hac regione, eiusque gente, ex auctoribus maximè vetustis.

Hanc Illyriam postea Slauoniam, & eius populos Slauones, nominauit recentior ætas: sub quo nomine à Basilio Imp. Constantinopolitano à gentium reliquarum feritate abductos, & baptisate sacro imbutos tradit huius F. & successor Leo Imp. libro de Bellico apparatu, cap. 18. vbi hos eorum mores prolixè satis describit, his Ioannis Checi interpretis verbis: Populosa natio est, omnium ærumnarum patiens: calores, frigora, pluuias, nuditatem, comæatus & rerum necessariorum inopiam facile perfert. Erant hospitibus humani: quam hospitalitatem adhuc studiosè retinent. Peregrinis enim benigni ac mites erant, & illos lubenter ac humaniter excipiebant, & à loco in locum comiter deducebant, & ab omni noxa offensioneque integros & securos conseruabant. Itaque si propter negligentiam hospitis peregrinus lædatur, bellum statim contra eum mouet. Nam fidei magnam declarationem esse putant, si peregrini vicem vlciscatur. Aliud præterea non inhumanum hoc videbatur apud eos esse: captiuos enim suos non ad infinitam seruitutem obligabant, sed ut captiuos potius apud se retinebant, & certum quoddam seruitutis tempus præscribebant, ut post hoc tempus expletum, certa quadam mercede data, ad suos redire possint; vel, si malent, apud illos liberi & amici permanerent. Feminae illorum præter ceteras modestæ feruntur. Multæ enim virorum suorum mortem tam grauius ferunt, ac si sua esset, & seipsos suffocant: vitam enim viduam ac solitariam ferre non possunt. Milio ad comæatum utebantur: temperantiam in victu maximè colunt: reliquos agriculturæ labores minus perferunt, quia vitæ liberaliorem cultum magis diligunt, neque adduci possunt, ut magno cum labore sumptuosas epulas parent, atque eas postea vorent atq. exforbeant. armantur paruis hastulis vel iaculis duobus vnusquisque vir: quidam etiam scutis magnis, quos thyreos vocant. Arcubus enim ligneis vtuntur, & sagittas habent veneno imbutas, quod efficax admodum est: nisi enim qui plagam accepit, vel theriacam bibat, vel aliquod aliud salutare præsidium, vel statim omnem plagam præcidat, ne latius serpat, vniuersum necesse est corpus pereat. Ad loca prærupta & accessu difficilia confugere, & ibi commorari gaudent. Hæcenus Leo Imp.

HISTRIÆ, quæ in hac tabula quoque continetur, luculentam habes descriptionem apud Casiodorum 12. Variar. ad Prouinciales huius regionis: vbi eam ob fructuum optabilem fecunditatem Rauennæ Campaniam, & Regiæ vrbs cellam penariam nominat.

